



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Descriptio Ecclesiæ. Quid sit & vbi sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

V.

DESCRIPATIO
Ecclesie.

Grauisima descriptio Ecclesie huic Capiti inserta est, uidelicet, Quod sit domus Dei & porta cœli, hoc est, cœtus hominum, in quo sonat uox Dei de Christo, & Angeli ascendunt & descendunt in Scala Iacob, id est, ministri Euangelium de Christo recte docent, & in quo Deus habitat, & portam ad regnum cœlorum patefacit,

Sic describit Ecclesiam Paulus 1. Tim. 3. Ecclesia est domus Dei, columna & sedes ueritatis, id est, uere doctrine de Deo. Vbiq; igitur est uera doctrina de Deo, ibi est Ecclesia Dei. Item Ephes. 2. Estis conciuēs sanctorum, & domestici Dei extructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum (id est, super doctrinam traditam per Prophetas & Apostolos) exstente lapide angulari Iesu Christo, in quo omne edificium coagmentatum crescit in Templum sanctum per Dominum, in quo & uos coedificamini in habitaculum Dei, per Spiritum sanctum. Et Christus inquit Ioh. 14. Si quis diligit me, sermo-
nem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &

d s uenie=

ueniemus ad eum, & mansionem apud eum facimus. Tota diuinitas habitat in ijs qui doctrinam Christi amplectuntur & custodiunt. Item Mattheus. Vbicunq; duo uel tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sunt.

VI.

DE BONIS
Corporalibus.

Paulò ante audiuimus, Bona corporalia esse petenda suo ordine, uidelicet, ut anteferatur Deo & cedatur de bonis corporalibus, seu de mercede, si ita postulet Deus,

Phrasis autem hic in uoto iacob considerata est, Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi uiam ad uescendum: erit mihi Dominus in Deum. Nam Conditionalis particula addita, non significat finem uel mercedem, sed possibilitatem & modum & hanc uim habet. Si Deus uitam mihi prouiderit & defendet, tunc congregabo in hoc loco Ecclesiam ad sacrificium & concionem, sicut dicitur, Mortui laudabunt te Domine. Sin uero non dederit mihi panem & c. paratus sum ad ferendam uiam, exilia, & alias difficultates. Sicut David. 1. Regum. 15. inquit, Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, Sin autem dixerit mihi, Non preesto sum, faciat quod bonum uidetur ipsi.